



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 3. An actus cum omissione culpabili conjunctus, est Peccatum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

**Q. 2.** Unde estimanda est species, & gravitas omissionis culpabilis?

*Resp.* Ex specie, & bonitate actus praecipi-  
ti: nam privatio eò peior est, quò forma  
ei opposita melior est. Ergo omissione a-  
ctus praecipti eò peior est, quò actus pra-  
ceptus melior est. Sic omissione orationis  
longioris praecipitæ, est culpa gravior o-  
missione orationis brevioris etiam pra-  
cipitæ.

**Q. 3.** An actus cum omissione culpabili  
coniunctus, est Peccatum?

*Resp. I.* Omnis actus, qui est causa, fi-  
nis, vel occasio proxima omissionis male,  
contrahit malitiam omissionis, ut si omit-  
tas sacrum, ut studeas, vel dormias: quia  
prohibetur eodem pracepto, quo præcipi-  
tur actus omissus. Nam præceptum, ut  
pote de se efficax, hoc ipso, quod præcipiat  
actum aliquem, simul prohibet omnem  
actum, vi cuius sequitur omissione actus  
praecipti. Sicut enim præceptum obligat  
ad servanda omnia, quæ necessaria sunt  
ad ejus observationem: sic & ad vitanda  
omnia, quæ eandem observationem im-  
pediunt. Item in illo actu continetur  
virtualis saltem voluntas omittendi. Er-  
go habet idem objectum cum omissione,  
&

& proinde eandem malitiam, & repugnatiā eidem præcepto. Idem est, si actus assumatur ut medium omissionis: nam media contrahunt malitiam finis. Hinc si actus sit aliunde malus, habet duplēm malitiam; ut si quis omittat sacrum, quia tempore sacri furatur. Si verò non sit aliunde malus, habet unam, & eandem malitiam cum omissione culpabili, cùm solum habeat malitiam ab illa omissione, & eidem præcepto adversetur. Docet tamen Suarez, quod si quis advertit se hoc tempore omittere, & ex nimio affectu ad illud opus de se licitum velit nihilominus illud exercere, & sic omittere; tunc actus ille habet malitiam specie distinctam: quia verè est contra rectitudinem propriæ virtutis; & quia constituitur ultimus finis in illo opere.

*Resp.* II. Quando actus, qui fit tempore omissionis, non est causa, nec finis, nec medium, nec occasio omissionis, sed tantum assumitur consequenter ad voluntatem efficacem omittendi ob alium finem, juxta multos non contrahit malitiam omissionis, nec proinde est peccatum, si aliunde non sit malus: ut si quis, postquam decrevit omittere sacrum, ad aliquod leve incommodum vitandum oret domi, vel studeat tempore sacri, ut otium viter. Quia lex præcipiens aliquid non vetat actum alium, nisi sit causa, vel medium, vel occa-

sio omissionis actus præcepti; & supposita voluntate omittendi actum præceptum alius actus materialiter, & per accidens se habet ad omissionem, & nullo modo in eam influit.

*Q. 4. Quandonam admittitur peccatum Omissionis?*

*Resp.* I. Peccatum Omissionis externum admittitur eo solo tempore, quo urget præceptum faciendi actum: quia hoc peccatum consistit in omissione actus debiti ex præcepto: at actus non est debitus, nisi eo tempore, quo servandum est præceptum. Internum verò committitur, dum quis expressè, aut virtualiter, indirectè, vel interpretativè, vult omittere actum præceptum; nam tunc ponitur voluntas violandi præceptum.

*Resp.* II. Qui ponit causam, ex qua prævidet probabiliter secuturam omissionem, tunc peccat, & contrahit malitiam omissionis: quia qui ponit causam omissionis, vult indirectè, vel saltem interpretativè ipsam omissionem: qui enim vult causam, censetur velle effectum, qui **ex illa** sequitur. Præterea eodem præcepto, quo vetatur omissionis, prohibetur etiam positio libera causæ illius. Hinc qui die Festo manè se somno tradit, prævidens se somno sepultum iri tempore ultimi sacri, tunc peccat contra

re-